

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Ivrid. Lipsiensis Ordinarii  
Tractatio Synoptica Institvitionvm Ivrис Ivstiniianeарvm  
Theoretico-Practica**

**Mencke, Lüder**

**Lipsiae, MDCCXXXV**

**VD18 11839880**

**Tit. V. De Usu & Habitatione.**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18253**

definitum, a. l. 10. §. i. ff. quemadmodum serv. am. & Tempus, §. III. f. b. quod est Decennium inter praesentes, Vicennium inter absentes. l. 13. C. d. servit. l. f. C. d. præscr. long. temp. j. l. 16. §. i. C. b. Jure Sax. 31. Ann. 6. Sept. & 3. D. (3) Cessione facta Proprietario; Idem obtinet cum Proprietatem Rei Uſufructuarius acquirit: Tum enim fit Consolidatio; §. III. f. b. j. L. 5. ff. si uſuſfr. pet. Item Cessione facta extraneo abdicandi Animo: Tum enim nihil agitur, quoad Translationem Juris Uſuſfructuarii, & Uſuſfructus interit. §. III. f. b. j. l. 66. ff. d. jur. dot. L. 15. ff. fam. herc. Hodie id non ubique, maxime si defecerit Dolus, atten- ditur: Perceptionem autem Fructuum impune transferre licet. l. 12. §. 2 l. 38. ff. d. uſuſfr. (4) Rei Interiuſ totali, sive naturali, e g. Ædium per In- cendium, Prædii per Terræ Motum: §. III. f. b. Nam est Jus in Corpore, quo sublato & ipsum tolli necesse est; PR. f. h. sive civili, ut Publica- tione. a. l. 63. §. f. ff. proſoc. (c)

IV. Uſuſfructus dissolutus operatur, ut Domi- nus nudæ Proprietatis incipiat plenam in Re ha- bere Potestatem. §. IV. f. b. quæ Consolidatio, v. l. §. 4. I. h. 26. ff. d. uſ. & uſuſfr. leg. nisi certis Modis fieret, inutilis esset Proprietas. §. I. f. b.

## TIT. V.

## De Uſu &amp; Habitacione.

Communia uſuſfructus & uſus.

Iſdem illis modis, quibus uſuſfructus constitui- Ex Cajo l. tur, etiam nudus uſus constitui solet: iisdem- 1. §. 1. ff.  
(c) uſuſfructus a Personis recedere non potest sine Inte- b. t.  
ritu ſui. L. 15. ff. fam. herc.

que illis modis finitur, quibus & ususfructus definit.

*Quid inter sit inter usumfructum & usum fundi.*

1. Minus autem juris est in usu, quam in usufructu. Nam is, qui fundi nudum habet usum, nihil ulterius habere intelligitur, quam ut oleribus, pomis, floribus, feno, stramentis & lignis, ad usum quotidiani-

*Ex eod. 1. II. ff. b. s.* num utatur: in eo quoque fundo haec tenus ei morari licet, ut neque domino fundi molestus sit, neque iis, per quos opera rustica fiunt, impedimento: nec ulli alii jus, quod habet, aut locare, aut vendere, aut gratis concedere potest: quum is, qui usumfructum habet, possit haec omnia facere.

*Aedium.*

*Hic §. ex variis Ictorum responsis consutus est. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & sequ. hoc tit.* 2. Item is, qui aedium usum habet, haec tenus jus habere intelligitur, ut ipse tantum inhabitet, nec hoc jus ad alium transferre potest: & vix receptum esse videtur, ut hospitem ei recipere liceat; sed cum uxore, liberisque suis, item libertis, nec non personis aliis liberis, quibus non minus, quam servis utitur, habitandi jus habeat. Et convenienter, si ad mulierem usus aedium pertineat, cum marito ei habitare liceat.

*Servi vel jumenti.*

*Ex Ulp. 1. 12. §. 5. ff. b. 2.* 3. Item is, ad quem servi usus pertinet, ipse tandem operis atque ministerio ejus uti potest: ad alium vero nullo modo jus suum transferre ei concessum est. Idem scilicet juris est & in jumento.

*Pecorum.*

*Ex eod. d. 1. §. 2. ff. b. 2.* 4. Sed si pecorum veluti ovium usus legatus sit, neque lacte, neque agnis, neque lana utetur usuariorum: quia ea in fructu sunt. Plane ad stercorandum agrum suum pecoribus uti potest.

*De habitatione.*

5. Sed si cui habitatio legata sive aliquo modo consti-



constituta sit, neque usus videtur, neque ususfructus, sed quasi proprium aliquod jus: quam habitationem habentibus, propter rerum utilitatem, secundum Marcelli sententiam nostra \* Decisione \* v.L. 13. C. promulgata, permisimus non solum in ea degere, *de usufr.* sed etiam aliis locare.

### Transitio.

6. Hæc de servitutibus, & usufructu, & usu, & habitatione, dixisse sufficiat. De hereditate autem & obligationibus, suis locis proponemus. Exposuimus summatim, quibus modis jure gentium res acquiruntur: modo videamus, quibus modis legitimo & civili jure acquiruntur.

### I.

**S**ervitus personalis minus plena est Usus & Habitatio. *Usus*, der bloss. Gebrauch, est Jus Rebus alienis ad necessaria Vitæ Subsidia utendi, salva earum Substantia. L. 12. §. 1. ff. b. (a) §. 1. J. h. Habet cum Usufructu hoc commune, quod constituitur finiturque iisdem Modis, quibus Ususfructus; PR. J. h. pro Parte tamen constitui nequit. L. 19. ff. b. (b) Pr. I. h.

II. *Usus* in eo est diversus ab *Usufructu*, quod ad Necessitatem quotidiam saltem uti licet; Unde is, cui competit *Usus* (1) *Sylvæ, zum nothwendigen Feuer-Hölze, Ligna* saltem ex ea pro Necessitate Familiæ capit conf. Art. gen. 31. (2) *Fundi* ex eo Necessitatibus quotidianis consulere

(a) Is cui *Usus* datus est, uti ad Necessitatem, non ad Compendium potest. a. L. 12. §. 1. ff. b.

(b) *Frui pro Parte possumus, uti pro Parte non possumus.* L. 19. ff. b.

& in eodem sine Moleſtia Domini, eorumque,  
 §. I. I. h. qui Agros colunt, morari: §. I. J. b. j. l. 10. §. f.  
 l. 11. l. 12. ff. b. Non autem alii Jus, quod habet,  
 vendere, locare aut gratis concedere potest. d. §.  
*conf. Art. gen. 32. §. Es soll. §. Wenn aber.* (3)  
 Aedium, eas ipſe inhabitare cum Familia sua, at-  
 que tum Hospitem, §. II. J. b. Inquiline numque  
 pro Pensione l. 4. ff. b. recipere, cum vero Uxori  
 competit Uſus, eadem cum Marito habitare  
 §. 2. I. h. potest. §. II. J. b. ita resp. E. J. L. M. Sept. 715.  
 (4) *Servi Jumentive*, ipſe utitur, sed non Mini-  
 §. 3. I. h. sterium Uſumve illius ad alium transfert. §. III.  
 J. b. (5) *Pecoris*, eodem ad stercorandum A-  
 §. 4. I. h. grum, §. IV. J. b. nec non modico illius Lacte  
 uti potest. l. 12. §. 2. ff. b.

III. *Habitatio*, die *Wohnungs. Gerechtigkeit*,  
 est Jus alienas Aedes inhabitandi, & quamvis  
*Utilitatem ex illarum Habitacione* percipi-  
 §. 5. I. h. endi; §. V. J. b. leg. 13. C. d. usufr. Proinde A-  
 edes locabit, quamvis eas non inhabitet. d. l. d. §.  
*Habitatio differt ab Uſu & Uſufructu*, dum ne-  
 que Capitis Deminutione neque non utendo  
 perit. l. 10. ff. b. j. L. 10. ff. d. cap. min. (c) Atque  
 haec claudit Tractationem de Servitutibus.  
 §. 6. I. h. §. VI. J. b.

(c) *Quae in Facto potius quam Jure consistunt, interve-  
 niente Capitis Deminutione perseverant.* L. 10. ff. d.  
 capit. min.

TIT.



TIT. VI.

De Usucaptionibus, & longi temporis  
Præscriptionibus.

Principia usucaptionis requisita, nimirum: 1. Bona fides; 2. Possessio per tempus definitum continuata; 3. Justus titulus.

JURE civili constitutum fuerat, ut qui bona fide ab eo, qui dominus non erat, cum crederet dominum eum esse, rem emerit, vel ex donatione, aliave quavis justa causa acceperit; is eam rem, si mobilis erat, anno ubique uno; si immobilis, bennio tantum in Italico solo usucaperet, ne rerum dominia in incerto essent. Et cum hoc placitum erat, putantibus antiquioribus, dominis sufficere ad inquirendas res suas præfata tempora: nobis melior sententia resedit, ne domini maturius suis rebus defraudentur, neque certo loco beneficium hoc concludatur: & ideo \* Constitutionem super hoc promulgavimus, qua cautum est, ut res quidem mobiles, per triennium; immobiles vero per longi temporis possessionem, id est, inter præsentes decennio, inter absentes viginti annis usucapiantur, & his modis non solum in Italia, sed etiam in omni terra, quæ nostro Imperio gubernatur, dominia rerum, justa causa possessionis præcedente, acquirantur.

\* v. L. un.  
C. de Usuc.  
transf.

Quæ usucapi possint, vel non: de his, quæ sunt extra commercium, & de servo fugitivo.

I. Sed aliquando, etiam si maxime quis bona fide rem posseuderit, non tamen illi usucatio ullo tempore procedit: veluti si quis liberum hominem, vel rem sacram, vel religiosam, vel servum fugitivum possideat.

Ex Caj. I.  
9. ff. d. U.  
Surpat. &  
U. Usuc.